

L. IV. ep. VI. *Nam et Q. Maximus.*] Huic viro in clauē Ernestina datum est praenomen Publii, haud dubie errore typhothetae. Nam in amplissima gente Fabia ne vnus quidem hoc praenomine vsus est. — In eadem epistola verba illa: *Non amicorum negotiis — cogitationes meae*, confirmant explicationem, quam dedimus nouissime de loco illo L. V. ep. XIV. *qui nunc quietem quaerit ex magnis occupationibus.* — Porro quae Benedictus ad tuendum vocabulum *confenuisse* affert, etsi satis speciosa sunt, siquidem *cruda vulnera cum sanis*, tum etiam *senilibus* opponi possunt; tamen non faciunt, vt a Victorio, qui, consensu doctissimorum interpretum, *confanuisse* recepit, dissentiamus. Nusquam enim meminimus legere *senile vulnus* pro eo, quod obducta cicatrice occalluit, quae huius loci sententia est. Sed significat vulnus, quod intra cutem subest, penitus insedit et inueterauit, aegreque sanari potest; quare a Celso V. 19, 23. cum *gravi vulnere* componitur, estque idem quod *vlcus senile* Plin. H. N. XXXI. 11. h. e. *vetus*, non autem *senum*, vti Schellerus,

nescio qua de causa, quoue auctore, explicuit. Etsi vero non ignoramus, vocabulum *consenescere*, pariter atque *inueterascere*, non solum de vigoris, quem aliqua res habet, *incremento*, sed et *decremento* usurpari; qua extrema vocabuli voluntate fretus Benedictus dolorem aliquantum sopitum atque deminutum intelligit; tamen, ut in genere coeptae metaphorae, cui bene respondet τὸ *recrudescere*, persifiatur, praefenda est lectio *consanuisse*. Est enim tralaticium illud rhetoricum praeceptum, ex quo omnia, quae metaphorico verbo non conveniunt, cum dicitur proprie, ea etiam aliena habenda sunt, cum dicitur translate.

L. VI. ep. X. *quotidieque aliquid fit lenius et liberalius, quam timebamus.*] Notandus est singularis verbi *timere* usus, cum ponitur de re, quam *non fore putamus*. Ut perfectus huius loci sensus sit: *quam timebamus, ut fieret*. Simili modo scribit Lentulus L. XII. ep. XIV. *Certe, quod maxime timui, videor etiam consecutus, ut non possit Dolabella etc.* Hic caue, ne *timui* iungas cum *ut non*; nam pertinet ad *consecutus*, et supplendum est ad verbum *timui*: *ut consequar*. Quo in loco Weiskius recte censet: verba *quod maxime timui* melius in fine periodi collocari.

L. VI. ep. XII. *qui tulissent acerbius, veniam tibi dari, quem illi appellant tubam belli civilis.*] Latinius est, inquit Ernestius, *quam illi tubam, quam quem illi tubam*. In quo in viri doctissimi auctoritate acquiescere nequeo. Etsi enim me non fugit, pronomen relatiuum inter duo nomina inter-

iectum

iectum Latinis genus sequi non prioris, sed sequentis; tamen id nec ubiuis, nec sine vlla conditione fieri posse autumo. Primo enim videmus in omnibus locis, in quibus illa res vsu venire solet, verbum a quo non primum, sed alterum nomen pendet, eiusmodi esse, quod cum duobus nominatiuis construi possit. Deinde vero, quod magis reconditum est, obseruamus, aut duo ista nomina esse fere synonyma, aut in alterutro membro alterius nominis aliquam reperiri descriptionem, vt: est *carcer* a Dionysio factus Syraculis, quae *latumiae* vocantur: *Senatus*, quod est *publicum consilium*: *animal plenum rationis et consilii*, quem vocamus *hominem*: *domicilia coniuncta*, quas *vrbes* dicimus. Vbi vero neutra ratio locum habet, ibi etiam oportet relatiuum pronomen sequi genus prioris nominis. Id quod his exemplis illustrari potest: Ouid. Met. I. 6. *Vnus erat toto naturae vultus in orbe, quem dixerunt chaos.* (*Chaos enim et vnus naturae vultus non sunt synonyma, metuoque, vt hoc pro illo facile poni possit.*) Curtius Ruf. III. 3. *Darius ad eum locum, quem amanicas pylas vocant, peruenit.* Lactantius de Op. Dei. XI. n. 7. *Spiritus contra — accepit viam patentem, (Gesnerus fatalem, nescio vnde) quae vocatur gurgulio.* Hinc censeo Ernestium nec debuisse in illo loco de Nat. Deorr. II. 55. „*pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant,*“ pro *quam recipere quem*; (non potest enim *ventriculus* et *pars quaedam cordis* promiscue vsurpari,) et multo minus nostro in loco *quem mutare in quam*: cum *tuba belli civilis* nec sit
syno-

synonymum T. Ampii, nec eius definitio. Et si vel maxime elegans sit iste dicendi modus; tamen hic loci, ambiguitatis vitandae ergo, non ponendum erat *quam*, quod quidem vocabulum facili errore potest cum praecedenti *veniam* coniungi; vnde necesse est perturbari sensum, violarique perspicuitatem, elegantiae multis partibus anteponendam. Ac consentientem mecum habere arbitror Bremium, qui ad Cic. de Fato p. 4. idem vsus loquendi discrimen, etsi paullo obscurius, fecisse videtur. Ait enim, relatiuum referri ad antecedens, si scriptor *vocabulum* respiciat; *sin rem*, ad consequens.

L. VI. ep. XIII. *vt non modo secunda sperare debeas.*] Particulam *cum* ante secunda, ab Ernestio eiectam, restituit Benedictus, quod non sua elegantia careat. Quenam illa esset elegantia, nulla coniectura potui assequi. Nam si *cum* coniunctionis loco positum est, oritur magna durities ex apodosis, ad prius antecedentis membri comma aegre referenda; *sin* vero vim praepositionis habet, nescio quae sit elegantia vel in praepositione *cum* pro vsitati *in* adhibita, vel in adiectiuo, quod sic *ἔλλειπτικῶς* in neutro genere saepissime, in feminino autem, quod ego sciam, nusquam occurrit.

L. X. ep. V. *Sic hortor, vt et pro patria et amicissimum.*] Miratur Benedictus interpretes illius lectionis, quae in plurimis Codd. reperiatur, *vt et proprium et amicissimum*, minus rationem habuisse. Nempe interpretatur vocabulum *proprium*, per *deditissimum mihi*. Quam quidem vim vocabuli deriuauit ex L. VI. ep. XXX. *cuius quam proprium te esse*

esse scribis mancipio et nexu; potuisset addere Nepotem in Lyfandro I. qui, se illius fore proprium, fide confirmaret. Sed utriusque loci auctoritas pro isto vocabuli significato infirma est, cum ibidem possit neutrum adiectiui esse, cui recte genetiuis addatur. Igitur nondum liquet, an Latini *proprium* simpliciter pro *amico* dixerint. Accedit, quod altera lectio, *ut et pro patria*, maiorem grauitatem habet, quia Tullius vix poterat grauius hortari, quam ut per patriae suique amorem Plancum obtestaretur. Si vero *proprium* ponis, vocabula componuntur idem significantia, nec melius sic concinnitati consulitur.

L. X. ep. XII. *Sed senatui maiora visa sunt, quam erant exspectata.*] Quod Benedictus in multis libris pro *exspectata* inuenit *spectata*, non mirum est; cum haec duo vocabula permutari soleant. Sed an haec lectio huic loco aptissima dici possit, dubitamus. Apparet enim e toto sententiarum ordine vocabula ista *sed senatui maiora visa sunt etc.* non posse referri ad *promissa*, sed ad initium epistolae: *tantum ei (reipublicae) te praesidii, tantum opis adtulisse; esseque opposita iis: quod mihi quidem minime nouum.* Deinde si *promissa spectata*, ut vult Benedictus, idem significant, quod *aliquo praecclare facto confirmata promissa*, non solum satis inhumanus erat Cicero, qui non potius scriberet: *quam alias fuissent spectata; sed et inepte loquebatur, cum promissa, nondum euentu comprobata, non possint comparari cum promissis, quae exitum habuere, ideoque iis nec maiora,*
nec

nec minora, quoad euentum dici. Itaque valde coacta haec est interpretatio. Nos persuasum habemus scripta esse ista pro: *sed senatui maiora opinione visa sunt.*

L. X. ep. XVIII. *Sciebam enim — hostibus obuiam ire.*] In hoc loco aut explicando aut emendando nulli mihi interpretes satisfecerunt. Neque tamen opus est causas, quas exponere longum esset, in medium afferre, cum ex mea emendatione satis perspicuae futurae sint. Primo enim cum Ernestio corrigo *etsi cautius pro et cautius*, eaque verba cum sequentibus vsque ad *obuiam ire* vncis includo. Deinde verba illa: *tamen si quid Lepidus etc.* filum orationis, per parenthesis interruptum, resumere arbitror. Qui vsus vocabulorum *veruntamen* et *tamen* Ciceroni sollemnis est. vide Clav. Ernest. Atque hoc pacto non alienum est vocabulum *videbam*, quod Ernestius insititium iudicauit, sed positum est, pro varietate in hoc loquendi modo vsitata, loco eius verbi, quod e prioribus repeti debebat, nempe pro *sciebam*; ita vt *tamen videbam* idem sit ac *sciebam igitur*.

L. X. ep. XXII. *commodissimum mihi Plancoque fratri visum est, uti eo, quod etc.*] Miror nullum interpretem in his verbis offendisse. Nam quae veterum scriptorum loca Cortius adtulit, ea valent tantum ad explicandam vim vocabuli *uti*, de qua nemo dubitat; et quod idem vir de re ad Sctum nondum perducta monet, id falsum est. Oportet enim Sctum factum et Planco missum esse, cum statim sequatur: *Sed siue in Scto desideras aliquid.* Iam displicet mihi hoc,
quod

quod non reperitur nomen, ad quod pronomen *eo* referatur. Quare existimo post verba *vti eo* scribendum esse *senatus consulto*, quod ipse Cicero prae festinatione omittere potuit. Nam senatus consultum intelligi debere, docet verbum *componere*, et, vt dixi, sequentia. Neque repugnant haec: *cum ea, quae consulebantur, ad exitum non peruenirent*. Sensus enim totius loci hic est: Scripsisti mihi, vt, si senatus consuleretur de re agraria, tuam dignitatem tuerer. Hoc ego certe fecissem; sed non consultus est, quoniam vel ea, quae consulebantur, ob tarditatem sententiarum ad exitum non perueniebant. Itaque quolibet senatus consulto acquiescere commodissimum putauimus, etiamsi non ex nostro arbitratu componeretur.

L. X. ep. XXVI. *Illud magis timui, quod vitatum non moleste fero.*] Hic Weiskius se mirifice impediuit. Nam *omittendos Narbonenses* interpretatur *non cogendos, vt nobiscum contra Antonium bellum gerant*, et interrogat: qui fieri potuerit, vt Cicero hanc Narbonensis auxilii negligentiam plus quam periculofam dimicationem timuerit? Tum post *timui* excidisse aliquid putat, ad quod sequentia commodius referantur; ineptum enim esse, si quis dicat, se non moleste ferre vitatum, quod timuerit; quamuis *non moleste fero* per *λιτότητα* dicta esse possint. Nos vero totum locum integrum putamus, nisi quod vocabulum *quod* in hoc mutandum sit. *Omittendos* autem *Narbonenses* intelligimus de copiis militaribus, e praesidio Galliae Narbonensis, in quo collocatae

B

erant,

erant, ad bellum cum Antonio deducendis. Itaque hic sensus verborum esse videtur: Cum tu declarares, nisi vos Galliam Narbonensem praesidio nudaretis, non posse sine periculo contra Antonium dimicari, maxime quidem illud timui; sed tamen improbare non possum hoc, quod proelium periculosum (i. e. non aequo Marte ineundum) vitare voluistis.

L. X. ep. XXXI. *qui locis omnibus dispositi ab utraque parte scrutantur tabellarios.*] Verba illa *ab utraque parte* Weiskius non videtur apte explicare per *tam supra, quam infra illum saltum*, Castolunensem puta. Tum enim non solum pleonastice posita essent illa *locis omnibus*, sed et tota haec enunciatio posterior, a priori concessiva, cui opponitur, non magnopere differret. Nam siue latrones in medio saltu, siue ad introitum exitumque eius latuerint, possis eodem modo dicere, tenere istum saltum tabellarios. Neque referre potest Ciceronis scire, in qua parte silvae, sed quod, et a quibus retineantur. Quae causa est, cur ego haec verba *ab utraque parte* intelligam de hominibus subornatis, cum ab Antonianis, tum a defensoribus libertatis.

L. X. ep. XXXIII. *Si quidem, quae nunciantur vlla ex parte, vera sunt.*] Pro *vlla ex parte* Weiskius de coniectura scripsit *illa ex parte*; nempe quia putabat, *vlla ex parte* necessario idem significare, quod *minima ex parte*, quo modo sane saepius verti potest. Sed proprie est idem quod *aliqua ex parte*, vel omnino *ex parte*, cuius magnitudo non definitur,
sed

sed simpliciter toti rei opponitur. Nam si Pollio de Gallia Lepidi cogitasset, scripisset *illis ex partibus*.

L. X. ep. XXXIV. *castra ad flumen Argenteum contra Antonianos feci.*] Haud dubie verior est lectio *Antonios*, a Weiskio in Gorl. et Magd. Codd. reperta; quam videtur illorum temporum loquendi usus confirmare XI. 14. *seque cum Antoniis et reliquis latronibus coniungeret.*

L. XI. ep. VI. *Quod mihi tuam dignitatem commendas.*] Benedictus recepit lectionem duorum Codd. Dresd. *quid — commendas?* existimans hoc modo vocabulum *dignitatem* cum vi quadam repetitum, nec, quod Ernestius putabat, a glossatore adfutum videri. Sed nescio vnde vocabulo huic maior vis accedat, siue praecedat interrogatio, siue non. Inest potius vis in vocabulo *meam*. Interrogatio autem videtur plane aliena esse ab oratione tranquilla et affectus experte. Nec debebat Ernestio, qui talem negligentiam alias gratam appellat, verbum *dignitatem* sine dubio delendum videri.

L. XII. ep. III. *productus in concionem a Canutio.*] Hinc patet in clauae Ernestina sub nomine Ti. Canutius, pro *Ciceronem*, scribendum esse *Antonium*.

L. XII. ep. V. *nihil belli reliqui fore videbatur.*] Quis sic loquitur, interrogat Ernestius, nihil belli reliqui est? Nemo, quod sciam, respondeo, vbi de tota sententia sermo est, sed genetivus *reliqui*, in quo vir ille doctissimus offen-

disse videtur, defenditur auctoritate Liuii XXXVI. c. 7. *cui, si semel in caussam descenderit, nihil integri futurum sit. et* XXVIII. c. 14. *vnde comitatibus praebendis sufficiamus, nihil reliqui est. immo ipsius Tullii de Fin. II. c. 31. et cum reliqui nihil sit omnino.* Nam quod genetius belli in nostro loco appositus reperitur, id non ad rem pertinet. Ergo haec idem valent ac: *nihil fore reliquum e bello.*

L. XII. ep. XII. *clausam Apameam tenuisset.]* Huius oppidi, in Syria ad Orontem siti, nulla facta est mentio in clauae Ernestina; nam quod ibi laudatur, eiusdem nominis, aliud est.

Sed haec hactenus. Exsequendum enim est munus officii, quo haud scio an dulcius gratiusque nullum praeceptoris scholastici animum retinere queat. Nam cum omnium laborum prosper successus atque fortunata peractio mirificam operae exantatae vsuram praebere soleat: eaque sit vulgo suscepta hominum consuetudo, vt bonitatem consiliorum laborisque magnitudinem ex euentu vnice fere metiantur; credi vix potest, quantam delectationem habeat illud tempus, quo scholarum magistris disciplinae suae alumnos,

nos, multorum annorum industria ita in optimis artibus eruditos cernere liceat, ut iam ad maiora idonei et parati esse videantur. Quod quidem gaudium, tanquam pulcherrimum operae nostrae fructum, percipere nos ex maxima parte eorum adolescentium, quos vitae academicae cursum instituturos, cum laude et honore nominandos putauimus. Praeter eos autem, quos iam mercatu autumnali honeste dimissimus, nempe:

ERNESTVM CHRISTIANVM SCHMIDT
EVTRIENSEM.

GOTTLOBVM FRIDERICVM FRIESNER
AVERBACENSEM.

AVGVSTVM CHRISTIAN. STEPHANVM
CAPIEUX
LIPSIENSEM.

ante duos menses abiit:

CAROLVS AVGVSTVS FREY
FRIBERGENSIS.

Hoc

Hoc vero tempore discefferunt:

IOANNES GODOFREDVS BRAMER

OELSNITIENSIS.

IOANNES CHRISTOPHORVS PIPPEL

REICHARTSWERBENVS.

CAROLVS GOTTHELF GLAESER

LEVCOPETRENSIS.

CHRISTIANVS FERDINANDVS THOMAS

PAVSANVS.

FRANCISCVS VALENTINVS FLECK

DAHLENVS.

FRIDERICVS SEGIMVNDVS RICHTER

WVRGENVS.

CHRISTOPHORVS FRIDER. KREVSLE

LIPSIENSIS.

Quorum

Quorum autem nomina sequuntur:

CAROLVS FRIDERICVS ADLER

MOEKERNVS.

FRIDERIC. GVILIELMVS SCHWEINITZ

OELSNITIENSIS.

GOTTLOBVS FRIDERICVS PFAV

LOESNITIENSIS.

hi quidem, cum nullum officium esse magis necessarium gratia referenda existiment, in animum induxerunt non prius nouam viuendi viam ingredi, quam innumera, a Deo immortalis per huius scholae opportunitatem in se deriuata, beneficia, gratissima memoria publicis orationibus persecuti fuerint. Quo facto prodibit:

FRIDERICVS AVGVSTVS BAERWINKEL

VOCSTADIENSIS.

suisque amicis omnium condiscipulorum nomine prosperum scholasticorum studiorum finem gratulabitur.

Quos



Quos quidem oratores, filiorum loco nobis dilectos, ut VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES MAGNIFICI AMPLISSIMIQUE, rerumque nostrarum FAVTORES EGREGII, benevole audire, suoque favore ad optimorum studiorum assiduam exercitacionem inflammare velint, nos summa, qua par est, observantia etiam atque etiam rogamus.

P. P. a. d. XVII. Kal. Mai. A. C. c1o1occciiii.

XVI

Quo
ctos, vt
MAGNIF
FAVOR
vore ad
nem infla
vantia et

P. P

loco nobis dile-
LE PROCERES
nque nostrarum
ire, suoque fa-
am exercitatio-
a par est, obser-

clolccciiii.

